



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ Pontificum Romanorum

Ex Antiquis Monumentis Collectæ

Sandini, Antonio

Bambergæ, 1753

CXVIII. Joannes IX. Anno Christi 898. Lamberti 5. Leonis Sapientis 13.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65464](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65464)

ANNOTATIONES.

(1) Flodoardus De Pontificibus Romanis inter Scriptor. Rer. Italic. tom. 3. part. 2. pag. 319.

(2) Sigebertus in Chronico ad an. 903. inter Scriptores Rer. Germanic. Pistorii tom. 1. pag. 805. *Hic (Theodorus II.) contra Stephanum Papam sentiens, reconciliavit ordinatos à Formoso, quos Stephanus per vim Roma intus, & non foras exordinaverat, nec tamen præsumpserat eos uerum consecrare.*

(3) Auxilius lib. 2. extremo cap. 4. apud Morinum de sacris Ordinationibus part. 2. pag. 298.

CXVIII.

JOANNES IX.

ANNO CHRISTI 898.

LAMBERTI 5. LEONIS SAPIENTIS 13.

SERGIO, qui in locum Theodori II. sublectus fuerat, antequam initiaretur, Româ expulso, cooptatus est Joannes IX. Rampoaldi filius, Tiburtinus, Diaconus, & exeunte mense Quintili anno 898. initiatus ritu solemn. (1) Duo hic eodem anno Concilia celebravit, alterum Ro-

Bar. an:
901. §. 1.
Pag. an.
898. §. 3.
4. 5.

- Cap. 1. Romæ, alterum Ravennæ. In primo abrogavit acta conventus habiti à Stephano VI. contra Formosum;
- Cap. 3. & qui necessitatis causâ de Portuensi Ecclesia Formosus pro vita merito ad apostolicam Sedem proventus fuerat, statuit, ut id in exemplum nullus assumeret, præsertim cum sacri Canones tot
- Cap. 4. penitus intericerent. Ordinibus sacris initiatos ab eo, quos deiecerat Stephanus VI. restituit in gradus pristinos: ac violatoribus sepulchri, cadaverisque ejus interminatus est anathema, nisi resipiscerent. Sacram
- Cap. 6. quoque Lamberti Imperatoris confirmationem ratam esse voluit, irritam verò illam barbaricam Berengarii, quæ
- Cap. 10. pote extortam per surreptionem. (2) Adjecit, ne Pontifices designatos non esset consecrari, nisi in conspectu Legatorum Imperatoris, quo superius Hadriani III. decretum abrogatum est, ad vitanda diffidia, quæ in Comitibus oriebantur cum maxima
- Cap. 12. Ecclesiæ offensione. (3) Cavet ad extremum, ne mortuo Romæ Pontifice, Patriarchium diriperetur, neve alibi Episcopia Episcopis decedentibus; quæ scelestissima consuetudo invaluerat

verat. (4) In Concilio, quod coram Lamberto Imperatore Ravennæ celebravit, eo profectus metu Sergianorum Romæ tumultuantium ob Sergii repulsam, ea præsertim confirmata sunt, quæ statuta fuerant in Romano. Obiit anno 900. Sextili mensis ineunte, cum annos duos, & dies quindecim Pontifex fuisset.

Bar. an.
905. §. 1.
Pag. an.
900. §.
22. 23.

ANNOTATIONES.

(1) Vide annotat. 2. ad Formosum.

(2) Baronius ad an. 904. §. 2. *Antequam ista fierent, contigit, ipsum Berengarium Romam armato exercitu contendisse, coronamque Imperiæ ab ipso Joanne Pontifice violenter extorsisse, sicque tyrannicè Imperatoris nomen vindicasse. Contra verò, eo recedente, vocatum Lambertum Romam ab eodem Pontifice, hoc cupiente Imperatoriâ coronâ solemnibus ritibus coronatum.* Vide Franciscum Pagium in vita hujus Pontificis.

(3) En verba ipsa Pontificis in Concilio apud Lab. tom. 9. Conc. pag. 505. *Quia sancta Romana Ecclesia, cui DEO auxilium præsidemus, plurimas patitur violentias Pontifice obeunte, quæ ob hoc ingeruntur: quia absque Imperatoris notitia, & suorum Legatorum præsentia,*
Pon.

Pontificis sit consecratio, nec canonice ritum & consuetudine ab Imperatore directi intersunt nuntii, qui violentiam & scandala in eius consecratione non permittant fieri; volumus, id ut deinceps abdicetur, & constituendus Pontifex convenientibus Episcopis, & universo Clero eligatur, expetente Senatu & populo, qui ordinandus est, & sic in conspectu omnium celeberrimè electus ab omnibus, presentibus Legatis imperialibus consecratur.

Hoc porro ex decreto, ut ait Thomassinus de vet. & nova Eccl. disciplina part. 2. Lib. 2. cap. 25. §. 6. patet 1. non ad electionem, sed ad ordinationem tantum admissos fuisse Imperatoris Oratores. 2. Nec admissos fuisse, nisi praverentibus dissensionibus & grassationibus. 3. Motum advocandi Imperatoris Legatos ad Pontificis ordinationem, jam tum habitum fuisse pro canonico ritu & consuetudine. 4. Usus, quem tandem Pontifices exhorruerant, & tam anxie amoliri enixi fuerant, longo annorum lapsu, rerumque stupendâ vicissitudine, tanta utilitatis, tanta necessitatis evasisse, ut in Legem Canonicam cooptatus sit. Vide annotat. 4. ad Stephanum IV.

(4) Vide Baronium ad an. 885. §. 4. CXIX.